

Domino regnum Israel a te hodie, et tradidit illum proximo tuo, meliori te, scilicet Davidi. Hinc S. Chrysost., hom. de Davide et Goliath, ait, *Saulem regem putari, Davidem vero esse.* Ergo Saül post inobedientiam suam in bello amalecítico commissam, jure regni excidit, et illud in Davidem translatum fuit.

R. Neg. conseq., et ad verba cap. XV dico ea tantum importare, quod Deus regnum a Saüle auferre, ac Davidi tradere decreverit, et quasi transferre incœperit, non vero quod tunc actu regno privatus fuerit: siquidem Saül usque ad mortem regnum continue administravit, et populus eum ut regem deinceps habuit, et coluit. Ad verba autem S. Chrysost. respondeo Davidem regem esse, scilicet a Deo designatum, ut Saüli, jam abdicato, morienti succederet, ac regnum ad posterum transmitteret, in iisque permaneret: cum eo autem consistit, quod regni administratio quoad usum a Deo relicta sit Saüli quandiu viveret. Unde dicit idem S. doctor, hom. de Davide et Saüle: *Nondum Deus eum abdicavit principatu, nondum fecit illum ex rege privatum.*

P. an recte dicat Morinus, dubitari non posse, quin primitus scriptum fuerit: *Filius viginti et unius annorum erat Saül,* etc., quemadmodum etiam legendum vult Melchior Canus, lib. XI de Locis theologicis cap. 5, ad argument. 12.

R. Præterquam quod Saül in initio regni sui plures annos haberet quam 21, ut quæst. seq. patebit. etiam huic lectioni refragari textum hebræum, LXX, Aquilam, Theodotion, Symmachum, et ceteros omnium linguarum textus, qui suffragantur lectioni Vulgatæ nostræ.

QUÆSTIO II. — QUOT ANNIS UNIVERSIM REGNAVERIT SAUL.

Licet quæst. præced. monstratum sit, et etiam hodieum communiter sustineri soleat, quod Saül pluribus annis regnaverit, quam duobus; tamen adhuc dubium est quot præcise annis regnum administraverit: siquidem auctor Chronologiæ Vitre, et nonnulli alii contendunt Saulem regnasse annis 40. Torniellus vero cum pluribus arbitratur Samuelem et Saulem simul, tantum præfuisse 40 annis.

R. et dico: Non videtur commode sustineri posse quod solus Saül regnaverit annis 40.

Prob. I. Quia a morte Heli usque ad initium regni Davidis, tantum fluxerunt 40 anni. Atqui Samuel saltem aliquibus annis præfuit ante Saulem; ergo solus Saül non præfuit 40 annis.

Prob. maj. Ab exitu de Ægypto usque ad facta fundamenta templi Salomonis fluxerunt anni 480, ut dicitur III Reg. VI, 1. Atqui ab eodem exitu usque ad mortem Heli fluxerunt anni 396, ut liquet ex Schemate chronologico, q. 2 in cap. III lib. Judic. proposito: et ab initio regni Davidis (qui regnavit 40 annis, II Reg. V, 4) usque ad annum quartum Salomonis, quo cœpit edificari templum, fluxerunt anni 44, qui simul collati cum 396 faciunt 440. Ergo a morte Heli usque ad initium regni Davidis tantum possunt

fluxisse 40 anni; nam hi collati cum 440 faciunt 480.

Nec dicas, ab exitu de Ægypto usque ad mortem Heli tantum effluxisse annos 376: eo quod nimirum 20 anni Samsonis videantur includendi in 40 annis judicaturæ Heli. Siquidem hunc computandi modum non videri admittendum, monstratum est Q. III in cap. III lib. Judicium, ubi probavimus quod 20 anni Samsonis distinguendi sint a 40 annis Heli.

Prob. II. Saül habebat circiter 40 annos, quando factus est rex: nam habebat filium Jonatham ducem exercitus, etc. Si igitur 40 annis regnasset, habuisset circiter 80 annos, quando mortuus est. Atqui hoc non est credibile; quandoquidem bellando occisus sit, existens adhuc fortis et robustus; nam II Reg. I, 21 et seq., dicit David: *Abjunctus est clypeus fortium, clypeus Saül... gladius Saül non est reversus inanis. Saül et Jonathas... aquilis velociores, leonibus fortiores... quomodo ceciderunt fortes ut prelio?... quomodo ceciderunt robusti?* Item I Reg. XXVIII, pridie mortis suæ, ivit ad phythionissam in Endor, itinere unius diei sine cibo, et exinde tota nocte itinerans reversus est ad castra. Hæc autem non cadunt in virum prope octogenarium; ergo, etc.

Prob. III. David jam inde natus erat, quando Saül, propter transgressionem mandati Dei hoc cap. prima vice reprobatus est a regno; atqui illa reprobatio contigit anno tertio regni ejus; ergo impossibile videtur quod solus Saül regnaverit 40 annis.

Major liquet ex y. 14, ubi Samuel ad Saulem dicit: *Nequaquam regnum tuum ultra consurget. Quæsiit Dominus sibi virum (nempe Davidem) juxta cor suum: et præcepit ei Dominus ut esset dux super populum suum, eo quod non servaveris quæ præcepit Dominus.* Minor autem ex eo patet, quod Saül prima vice reprobatus sit a regno, dum desiit esse innocens: jam autem, ut ex quæst. præced. liquet, per duos tantum annos regnavit in innocentia sua; ac consequenter prima ipsius reprobatio contigit anno tertio regni ejus. Itaque

Prob. conseq. David, mortuo Saüle, habebat tantummodo 50 annos, ut patet II Reg. V, 4. Atqui tamen omnino evidens et clarum est, quod tunc temporis multo plures annos habuisset, si videlicet Saül regnasset 40 annis: ergo impossibile apparet quod hic tanto tempore regnaverit. Dicendum igitur est quod Samuel et Saül, simul tantum 40 annis populo præfuerint. Unde

Dico 2. Samuel judicavit populum 22 annis, et tunc in regem inunctus est Saül, rexitque annis 18.

Prob. Samuel incepit judicare populum statim post mortem Heli. Atqui inde fluxerunt anni 22 usque ad inunctionem Saülis; ergo, etc.

Prob. min. Quia cap. VII, 2, dicitur: *Factum est ex qua die mansit arca Domini in Cariathiarim, multiplicati sunt dies: erat quippe annus vigesimus.* Septimo autem mense post mortem Heli abducta est arca in Cariathiarim: nam, ut constat ex cap. VI, 1: *Fuit arca Domini in regione Philistinorum septem mensibus.*

Ergo habemus jam inde a morte Heli 20 annos et septem menses. Deinde cap. VIII, narratur quomodo Samuel constituerit filios suos judices, quomodo hi declinaverint post avaritiam, Israelitæ petiverint regem, etc., quod tempus etiam facile complectitur unum annum et quinque menses; ergo a morte Heli usque ad inunctionem Saülis videntur fluxisse 22 anni.

SOLVUNTUR ARGUMENTA. — Obj. I. S. Paulus in sermone, quem fecit Antiochiæ, Act. XIII, 20 et 21, dicit: *Et post hæc dedit (Dominus) judices usque ad Samuel prophetam. Et exinde postulerunt regem, et dedit illis Deus Saül filium Cis, virum de tribu Benjamin, annis quadraginta.* Ergo solus Saül regnavit 40 annis.

R. Neg. conseq. Nam ex communi doctrina plurimorum interpretum illi 40 anni non determinant solum tempus regni Saülis, sed totum tempus, quo respublica Hebræorum primum a Samuele, et deinde a Saüle administrata fuit. Ita Eusebius in Chronico, Lyranus, Bellarminus in Chronologia, Torniellus, Genebrardus, Abulensis, et alii: idque innuit ipsamet Scriptura, dum dicit: *Dedit judices usque ad Samuel prophetam; siquidem hæc verba significant, quod S. Paulus Samuelem non numeret inter judices, sed inter prophetas: adeoque agit de judicibus usque ad Samuel exclusive, et sic exinde usque ad initium regni Davidis fluxerunt 40 anni, intra quos dedit illis Saül filium Cis.*

Obj. II. S. P. Aug., lib. XVII de Civ. Dei, cap. 7, de Saüle dicit: *Quadraginta annis regnavit super Israel, tanto scilicet spatio temporis, quanto et ipse David.* Et lib. XVIII, cap. 20, ita scribit: *David successit in regnum post annos a Saülis imperio quadraginta.*

R. S. P. Aug. eodem modo, sicut apostolus Paulus, intelligendus est: nam in libris de Civ. Dei, sequi consuevit Chronicum Eusebii, qui illos 40 annos dividit inter Saulem et Samuelem. Et sane quod S. doctor sub annis Saülis simul comprehendat annos Samuelis, ex ejus mente clarum videtur: siquidem lib. XVIII de Civ. Dei, cap. 22, expressis terminis docet quod principatus Josue, et tempus judicium contineant annos 356, additque quod sequentes anni pertineant ad tempora regum. Jam autem ex dictis Q. II in cap. III lib. Judicium, clarum est quod ab initio principatus Josue usque ad mortem Heli fluxerint anni præcise 356: ergo juxta mentem S. patris, anni qui sequuntur immediate post mortem Heli, pertinent ad tempora regum, ac consequenter anni Samuelis includendi sunt in 40 annis Saül: nam si in eis non includerentur, principatus Josue, et tempus judicium non annos tantum 356, sed ad minus 376 completerentur. Dico ad minus, quia judicaturæ Samuelis non possunt pauciores quam 20 anni completi attribui.

Cum itaque S. P. annos Samuelis numeret inter annos regum, resolvendum apparet, quod sub annis Saülis etiam comprehendat annos Samuelis. Sicuti ergo Aug. illa verba Gen. XV, 13, dicta ad Abraham

de posteris suis: *Affligent eos quadringentis annis,* sic explicat, ut sub annis afflictionis comprehendantur anni prosperitatis, quibus semen Abrahamæ peregrinum fuit in terra non sua, *quoniam iste numerus in eadem afflictione completus est, non quia ibi universus peractus est,* inquit lib. XVI de Civ. Dei, cap. 24: ita similiter dicendum videtur, quod S. doctor pro regimine Saülis 40 annos computet, quia in eodem regimine completi sunt, non quia ibi universi peracti sunt.

Inst. Aug. forsitan 20 annos Samsonis comprehendit sub 40 annis Heli; atqui in hoc supposito ab initio principatus Josue usque ad mortem Heli non fluxerunt anni 356, sed tantum 336: ergo, etc.

R. Neg. ant. Nam quod etiam juxta ipsius mentem 20 anni Samsonis distinguendi sint a 40 annis Heli, monstratum est Q. III in cap. III lib. Judicium.

Obj. III. Latina editio operum Josephi, juxta interpretationem Sigismundi, in fine lib. VI Antiq., habet: *Regnavit Saül, vivente Samuele, annis decem et octo, mortuo vero viginti duobus.*

R. quod exemplaria in hoc non concordent, nam alia editio, interprete Rufino, habet: *Regnavit Saül, vivente Samuele, octodecim annis, moriente vero alios duos.* Hæc autem editio videtur genuina, quia Josephus ibidem de rebus a Saüle gestis post mortem Samuelis, nihil refert nisi unam, eamque ultimam persecutionem Davidis. Accedit quod lib. X Antiq., cap. 11, simpliciter dicat Saulem regnasse annis viginti, in qua lectione omnia exemplaria, tam græca, quam latina conveniunt. Interim tamen, cum etiam ipse Josephus, lib. VI, cap. 1, tradat, arcam mansisse in Cariathiarim annis 20 quibus Samuel judicabat, hisque elapsis filios suos sibi conjudices constituerit, antequam a populo posceretur rex: non potuit regnare Saül nisi anno præfecturæ Samuelis 25 inchoante: et consequenter non 20 annis completis, sed tantum 18 regnavit, uti supra monstratum fuit.

QUÆSTIO III. — QUODNAM FUERIT SAULIS PECCATUM, PROPTER QUOD HIC A REGNO REPROBATUS FUIT.

Vers. 8: *Et expectavit (Saül) septem diebus juxta placitum Samuelis, id est, juxta præscriptum tempus.* Enimvero supra, cap. X, 8, jusserat Samuel Saüli, ut, si forte ingrueret hostis vel periculum, iret in Galgala, ibique immolaturus victimas pacificas, septem diebus suum adventum expectaret: sed die septimo inchoato, et nondum exacto, videns quod populus metu Philistinorum a se difflueret, non expectato ulterius Samuele,

y. 9: *Ait ergo Saül: Afferte mihi holocaustum et pacifica. Et obtulit holocaustum.* Peccavit in eo Saül quod non expectaverit Samuelem septem diebus complete; cum enim compleret oblationem sacrificii, Samuel veniebat, utique adhuc durante die septima, et quidem tali hora, qua poterat sacrificium offerri; quia usque ad horam jugis sacrificii vespertini poterant alia sacrificia offerri. Ita Abulensis, Cajetanus, Estius, Serarius et alii. Unde S. Gregor. in hunc lo-

eum ita scribit: *Idcirco igitur per inobedientiam cecidit, quia integris septem diebus, sicut jussus fuerat, non expectavit... quo in loco trementi corde considerandum est, quam brevissimi temporis expectatione neglecta, re-jectus sit.*

Peccavit etiam in eo, quod peccatum suum non recognoverit humiliter, cum argueretur a Samuele dicente sibi: *Quid fecisti?* Sed se volens excusare ex necessitate imminentis belli, culpam a se abegit, et quasi in ipsum Samuelem retorsit dicens *ŷ. 11: Vidi quod populus dilaberetur a me, et tu non veneras juxta placitos dies, etc.* Jam autem hæc excusatio erat frivola et nulla, quia nempe talis sacrificii oblatio, contra voluntatem Dei facta, non erat Dei placatio, sed offensio; ergo Saül se excusando peccavit.

Obj. I. Non erat hoc tam grande crimen, ut propter illud privari regno deberet; quo supplicio in humanis vix ullum gravius habetur.

R. Neg. assumpt. Quia in mandatis divinis non tam spectanda est qualitas vel quantitas materiæ, quam finis præcipientis; uti satis liquet in mandato, dato protoparentibus, de non comedendo de ligno scientiæ boni et mali, Gen. II, 17.

Addunt Isidorus Pelusiota, epist. 181, Abulensis, et alii, quod ad stabiliendum legum suarum disciplinam, et ad exemplum aliorum Deus eos graviter punire consuevit, qui in aliquo genere primi peccant. Sic primum delictum Nadab et Abiu primorum sacerdotum, Levit. X, profano igne sacrificantium; sic primam primorum christianorum, Ananiæ et Saphiræ, voti violationem, Act. V, adeo severis pœnis plectere voluit, ut quotquot in eo statu secuturi erant posteris, gravitate pœnæ a simili peccato detererentur.

Sic ergo Deus hic primum primi regis Israelitarum peccatum adeo dure mulctare voluit, ut quotquot deinde futuri erant reges, certo persuasum haberent, in regni administratione ne vel in minimo a divinis mandatis esse deflectendum.

Obj. II. Quidni potius dicatur cum Lyrano, Ruperio, et Dionysio Carthusiano, Saülem ideo hic potius regno privatum esse, quia officium sibi illicitum, scilicet offerendi per se ipsum, usurpavit; quod est grave peccatum, ut patet ex eo, quod rex Ozias volens offerre incensum, quod non erat regis officium, fuerit a Deo lepra percussus, II Paralip. XXVI.

R. id dici non posse, quia nihil tale indicat Scriptura: etenim si Saül per seipsum sacrificasset, certo Samuel id ipsi acerrime exprobrasset. Insuper habebat Saül sacerdotes in castris, per quos sacrificia offerre poterat: cur ergo munus sacerdotale sibi assumeret, sciens quantopere id a Deo esset prohibitum? Ita Abulensis, Serarius, et alii.

Unde quod *ŷ. 9* de Saüle dicatur: *Obtulit holocaustum*, intelligi solet quod illud obtulerit per sacerdotes aaronicos. Sic rex Manasses, II Paralip. XXXIII, 16, dicitur immolasse victimas et pacifica; nempe quia victimas præbuit immolandas per sacerdotes.

Inst. Sciebat etiam Saül, quod deberet expectare

adventum Samuelis usque ad diem septimum completum; atqui tamen hoc non observavit: quidni ergo etiam dicatur transgressus legem, de non assumendo munere sacerdotali?

R. ut adventum Samuelis non expectaret, aliqui necessitate et metu, quamvis futuri, adigebatur: ut vero per se sacrificaret, nulla ratio urgebat: quin potius metus divinæ offensæ virum, hætenus ab innocentia et vitæ integritate commendatum, revocabat.

P. quomodo hic *ŷ. 15* dicatur regnum Saülis, si divinis parvisset mandatis, fuisse stabiliendum in æternum, cum illud, juxta vaticinium Jacob, Gen. XLIX, jam a multis seculis promissum esset tribui Juda, ex qua non erat Saül, utpote Benjaminita.

R. quod ordinatio divina, respiciens aliquod futurum, aliquando sit absoluta, aliquando conditionata. Itaque stabilimentum regni israelitici solum erat prædictum conditionate de Saüle, sed absolute de tribu Juda. Quia enim certo et infallibiliter præviderat Deus Saülem a conditione deflexurum vitio suo, potuit certe ante prædecernere ac prædicere sceptrum a domo Saül auferendum, et in tribum Juda transferendum, atque in ea hæsurum usque ad Messiam. Ita passim interpretes.

Hinc etiam S. P. Aug. præsentem quæstionem tractans, lib. XVII de Civ. Dei, cap. 6, ita scribit: *Quod ait Saül Samuel: « Quoniam non servasti mandatum meum, etc. », non sic accipiendum est, ac si ipsum Saülem Deus in æternum præparaverit regnaturum, et hoc postea noluerit servare peccanti: « Neque enim eum peccaturum esse nesciebat, sed præparaverat regnum ejus, in quo figura esset regni æterni. Ideo addidit: « Et nunc regnum tuum non stabit tibi. » Stetit ergo, et stabit, quod in illo significatum est: sed non huic stabit quia non in æternum ipse fuerat regnaturus.*

CAPUT XIV.

Jonathas solo armigero suo associatus, Philistæorum stationem aggreditur, cædit, et dispergit, Deo illis terrorem et perturbationem immittente, sic ut hostes mutua se cæde trucidarent: Saül tumultum inaudienti, edicit ne quis usque ad vesperam comedat, donec hostes fugientes persequatur: Jonathas contra patris edictum, quod ignorabat, modico melle degustato, vix mortem evadit.

QUÆSTIO UNICA. — AN EDICTUM ET JURAMENTUM SAULIS, QUO ABSTRINXIT POPULUM, NE CIBUM SUMERET USQUE AD VESPERAM, SIT REPREHENSIONI ET CULPÆ OBNOXIMUM.

Post insignem ac prorsus stupendam, a Jonathas armigero ejus, de Philistæis relatam victoriam, videns Saül adversarios suos in fugam se proripere, eosque ad interneccionem volens persequi, ne populus impediretur eos insequi, indixit, ne ante vesperam sese cibo reficeret, et observationem præcepti juramento firmavit. Hinc dicit sacer textus *ŷ. 24: Adjuravit autem Saül populum, dicens:*

Maledictus vir qui comederit panem usque ad vesperam, donec ulciscar de inimicis meis. More Hebræis usitato, per panem cibus quilibet intelligitur. Hinc ubi Jonathas non panem, sed mel sumpserat, quasi transgressor mandati paterni habitus est. Potum autem non videtur interdixisse: quia brevior in bibendo mora, et urgentior est illius necessitas æstu et pugna fatigatis.

Indiscretum fuisse hoc Saülis præceptum, arbitrantur nonnulli, præsertim cum inconsulte, nec sine culpa adjurationem illam interposuisse videatur. Imo Tirinus stultum edictum appellat: ne quis ante noctem cibum sumeret, quo lassatas, exhaustasque cursitando et pugnando vires vel tantillum instauraret: quo factum, inquit, ut non posset populus diu persequi fugientes Philistæos, et illo die debellare. His non obstantibus,

R. et dico cum Abulensi, Cajetano, Serario, A Lapide et aliis justum fuisse hoc Saülis præceptum.

Prob. I. Quia Saül videtur suis hanc jejunii legem indixisse ex recto fervore et zelo, ut infideles et divini nominis hostes fugientes insequeretur, comprehenderet et occideret. Hinc rationi consentaneum erat, præcidere quascumque occasiones moras neccendi: prudenter enim sibi persuadere poterat, quod si milites sui ad cibos defluerent, aut si populus de præda inimicorum reperta comedere potuisset, interea hostes fuga elaberentur.

Quinimo non improbabile est, quod hoc jejunio simul voluerit Deo agere gratias pro victoria tam miraculosa, eumque inclinare ad illam plane pleneque perficiendam, existimabat enim cum Deo, erga se suosque adeo liberali, etiam liberaliter esse agendum.

Præterea viris duris et militaribus, non adeo difficile censebatur et violentum, jejunium usque ad vesperam protrahere. Et quamvis ferventior fuerit militaris duraque hæc Saülis sanctio, et aliquid discretionis in ea desideretur; tamen ex intentione ejus, justa sanctaque fuit, ob rationes assignatas. Unde populus totus eam tacite approbavit, et acceptavit.

Prob. II. ex antiquis scriptoribus, et SS. patribus, qui hoc Saülis præceptum extollunt et dilaudant. Imprimis illud dilaudat Tertul., lib. de Jejuniis, cap. 10, dicitque Saülis jejunio a Deo præstitam auctoritatem. Et S. Ambros., serm. 36 post dominicam primam Quadragesimæ bonum plane regem appellat, *qui hostes suos non tam armis, quam devotione vincebat; et plus dimicabat religione quam telis. Cum ergo Saül abstinentiam diei suis omnibus indixisset, et Jonathas ejus filius præcepti nescius, inter medias hostium acies victor incedens, favum mellis intincta sceptri summitate gustasset, tanta indignatio repente commota est, ut et differretur victoria, et divinitus lederetur.*

Accedit S. P. Aug., qui hoc Saülis factum laudabile vocat, dum reflectens ad *ŷ. 58*, ubi dixit Saül: *Applicate huc universos angulos populi: et scitote, et videte, per quem acciderit peccatum hoc hodie*, ita scribit lib. XXII contra Faustum, cap. 65: *Neque enim quia vituperabilis homo erat Saül, ideo non est laudabile*

factum ejus, quod gustatum de anathemate tam diligenter scrutatus, tam severe vindicare conatus est, obediens Deo, qui hoc fieri prohibuerat; vel quod pythones et ventriloquos de regno suo delevit. Porro si indiscretum et stultum fuisset ejus præceptum, quomodo fuisset laudabile ejus observantiam urgere, et transgressionem severe vindicare? Quomodo posset hoc Saülis factum comparari cum eo, quo pythones delevit?

Consonat etiam S. Hieron. lib. II contra Jovinian., cap. 10, ubi commendans utilitatem jejunii, inter alia affert sequentia exempla: *In Exodo adversus Amalec hortatione Moysi, et totius populi, usque ad vesperam jejunio dimicatum est. Jesus, filius Nave, stationem imperavit soli et lunæ: et in ediam plus quam unius diei, victoris exercitus protelavit. Saül, sicut in Regnorum primo libro scribitur, « Maledictus, » inquit, « qui edidit panem usque ad vesperam, etc. » Et non gustavit omnis populus ejus, et tota terra prandeat. Tantaque fuit auctoritas detestationis, semel Domino destinata, ut Jonathas, qui causa victoriæ extiterat, deprehenderetur sorte... et vix populi precibus salvaretur.* Hinc resolutio data

Prob. III. Si Saül stulte jejunium hoc indixisset, certe Deus illud non approbasset; atqui tamen approbavit, dum per sortes violati edicti quodammodo reum Jonatham manifestavit; ergo Saül nec stulte egit, nec peccavit hoc jejunium indicendo: nam si peccasset præcipiendo, potius sors eum, quam Jonatham, noxium declarare debuisset.

Nec satisfacit Tirinus dicendo, quod hac manifestatione non probaverit Deus stultum edictum; neque etiam reum aut nocentem probaverit Jonatham, nisi materialiter tantum; sed primario voluerit patefacere, quanta sit vis præcepti et maledictionis, quæ est a superiori potestate, et locum Dei tenente: quæ licet injusta et irrationabilis sit, semper tamen suspicienda, et merito timenda est. Enimvero vel sic implicite, vel secundario saltem, Deus visus fuisset approbare factum Saülis; potissimum cum non curaverit eum de super moneri a Samuele, quod in variis aliis ejus excessibus factum reperitur.

SOLVUNTUR ARGUMENTA. — Obj. I. Edictum hoc fuit occasio peccandi toti populo, qui propter adjurationem non fuit ausus sumere cibum usque ad vesperam: unde postea populus lassus et famelicus, præ festinatione carnes animalium nondum expresso sanguine devoravit; cum tamen Gen. IX et Levit. XVII gravissime prohibitum esset comedere carnem cum sanguine. Insuper præceptum illud sementem præbuit infinitorum obloquiorum famelici et murmurantis populi, dum per prata et saltus melle plenos, deducuntur jejuni, nec cibo tamen obvio refici vel intercurrere sinuntur.

R. similia peccata, ex gulositate et fragilitate populi, præter intentionem Saülis evenisse: nec propterea culpandum ejus edictum; enimvero bona et justa est lex, etiamsi subinde occasionaliter inde augetur desiderium peccandi in populo.

Obj. II. Præceptum ex nimia præcipitantia, et non